Droste-Huelshoff - De Aristotelis
Justitia, 1826

CLEMENS AUGUSTUS A DROSTE - HUELSHOFF
Juris utriusque Doctor Professor Publicus Ordinarius in
Universitate Litterarum Regia Borussica Rhenana

SCRIPTO PROGRAMMATE

DE ARISTOTELIS JUSTITIA UNIVERSALI ET PARTICULARI DEQUE NEXU QUO ETHICA ET JURISPRUDENTIA IUNCTAE SUNT

AD

AUDIENDAM ORATIONEM ADITIALEM

QUAM

HABEBIT DIE XXVIII. JANUARII A. MDCCCXXVI
IN AULA PUBLICA,

INVITAT

PROCERES DOCTORES PROFESSORES
CIVES AMPLISSIMOS
CLARISSIMOS ORNATISSIMOS.

BONNAE
IN LIBRARIA T. HABICHT.
1826.

DE
ARISTOTELIS IUSTITIA
UNIVERSALI ET PARTICULARI,

deque nexu, quo ethica et jurisprudentia junctae sunt.

Quam his paginis perlustrare ingredimur quaestionem, ea vero inter subtilissimas atque difficillimas et habita semper est et habebitur ab omnibus, quicumque juris et morum disciplinas aliquanto plenius, quam fieri solet, neque primoribus, ut aiunt, labris gustare aut cupiverunt aut cupient. Atque de rei gravitate speramus fore, ut hac ipsa explicatione lectores nostri convincantur, modo benignum verique amantem animum afferant, et eam, quam jure petimus, veniam nobis concedant, ut exordiri rem possimus et ad exitum perducere, quique levius fortasse propositum nostrum habeant, ii ad finem usque disputationis votum suum judices severi suspendant. Quaestio enim haec est: quinam nexus sit inter ethicam et juris doctrinam, seu, quod idem valet, inter virtutem et justitiam. Quae quidem quaestio ita nodis implicata est, ut per integra saecula tam multi tamque excellentis ingenii viri indefesso labore eam solvere conati sint, quae etiam nostra aetate non ita dilucide soluta est, ut de ea non saepissime novae lites oriantur. Hanc autem quaestionem ab Aristotele tractari, cum duplicem, universalem et particularem, doceat justitiam esse, id, licet nemo fere, quantum sciam, hucusque animadverterit; tamen, cum accuratius contemplati fuerimus, quid per universalem et particularem justitiam Aristoteles intellexerit, satis, ut puto, erit perspicuum.

»Quid porro, inquit (1), intersit inter virtutem et »hanc justitiam« (scilic. universalem quam supra explicavit) »ex iis, quae diximus, perspicuum est. *Est enim eadem »illa quidem*, sed ejus essentia (τὸ δ᾽εἶναι) non est ea»dem, verum qua cum altero rationem habet, justitia est: »qua talis quidam habitus, absolute virtus est. (ἀλλ᾽ ᾗ μὲν »πρός ἕτερον, δικαιοσύνη · ᾗ δὲ τοιάδε ἕξις, ἁπλῶς ἀρετή). »Justitiam autem quaerimus eam, quae *pars virtutis* est, »est enim aliqua, ut dicimus: itemque injustitiam eam, quae »*in partibus vitii* numeratur. Aliquam porro esse hujus»modi argumento est, quod, qui agit aliquid eorum, quae »ad caetera vitia pertinent, facit ille quidem *injuste*, sibi »tamen *plus boni, quam oportet, non dicitur sumere aut vin»dicare*; verbi gratia, qui clypeum abjecit propter ignavi»am, aut qui maledixit alteri ira incensus, aut qui pecunia »non est alicui opitulatus propter illiberalitatem. *Cum au»tem sibi plus boni sumit, aut vindicat, quam oportet, saepe »nullo tali vitio peccat. Atqui non etiam omnibus* (scil. vi»tiis) *tum peccat: et peccat tamen. Nam et hunc injustitiae »nomine vituperamus.* Est igitur alia quaedam injustitia, »tanquam *injustitiae* pars quaedam *universae*, itemque injustum »quoddam, idque ut totius injusti pars: ejus inquam *quod con»tra leges committitur*. Praeterea siquis quaestus causa ad»ulterium committat, mercedemque etiam ferat, alius autem »cupiditate inflammatus idem faciat, dans etiam aliquid de »suo, jacturamque rei suae faciens: hic quidem intemperans »potius, quam plus sibi sumens et vindicans videtur, ille au»tem injustus, at non intemperans, propterea scilicet, quia »quaestus causa facit. Praeterea in ceteris quidem omnibus »injuste factis siquid peccatur, id semper ad aliquod genus »improbitatis refertur; verbi gratia siquis adulterium com»misit, ad intemperantiam; si eum, qui in acie proximus »locatus erat, deseruit, ad timiditatem: siquem pulsavit, »ad iracundiam. *At si quaestum fecit, ad nullum aliud, »vitium, nisi ad injuriam refertur.* Perspicuum igitur est,

---

1) Aristotel. Ethicor. Nicom. (ed Zell.) Lib. V. cap. I. i. f.

»praeter *totam* illam injustitiam, aliam quandam esse, quae »sit tamen huic ex parte συνώνυμος: quoniam eodem genere »utraque continetur. Utriusque enim vis in eo posita est, »*quod ad alterum refertur.* Verum haec quidem altera »versatur in honore aut pecunia aut salute, aut, siquo »uno nomine haec omnia complecti possimus, in istis om»nibus: et quidem idcirco posita est, quia lucri gratia facile »aliquid delinquitur. Illa vero in iis omnibus, in quibus »vir bonus occupatus est. Justitias ergo plures esse, *ali»am item quandam esse praeter universam virtutem*, per»spicuum est: quae sit porro et qualis, est investigan»dum. Hoc igitur ut agamus, illa jam a nobis proposita »est injustitiae sive non juris distinctio, esse illud, et quod »contra leges committitur, sive inobedientiam legibus, et »quod ab aequitate seu aequalitate remotum est. Itemque »jus esse unum legitimum, aequale alterum.

»Atque ex eo quidem injusto, quod est legibus ino»bedientia, superior injustitia et orta et appellata est. »Verum, quoniam non est idem injustum illud, quod ex »inaequalitate, cum inobedientia legibus, sed unum eo»rum ad aliud relatum est, ut pars ad totum (nam quid»quid iniquum est, contra leges committitur: sed non »quidquid contra leges committitur, continuo est iniquum), »efficitur ut hoc injustum, et haec injustitia non sint ea»dem atque illa, sed ab illis differant, partiumque ad »tota rationem obtineant. Haec enim injustitia totius in»justitiae pars est: item totius justitiae haec justitia. Ita»que et de justitia ea dicendum est, quae speciei ratio»nem habet, et de injustitia item, quae pars est; eodem»que modo de jure atque non-jure. Atque illam quidem »cum justitiam, tum injustitiam, quae in eodem, atque »virtus universa vitiumque universum, ordine locatae sunt »(*quarum altera totius virtutis, altera totius vitii usus »est cum altero*) praetermittamus. Jus quoque et non-jus »quae sunt his consentanea, quonam modo discernenda »sint, non est obscurum. Nam pleraque jura legitima ea »fere officia sunt, quae ab universa virtute praescribun»tur. Unicuique enim virtuti convenienter vivere lex jubet

»et unumquodque vitium vetat suscipere. Ad haec causae »efficientes virtutis universae sunt ea omnia jura legitima, »quae legibus de disciplina ad rempublicam utili compre»hensa descripta et constituta sunt. De privata vero cu»jusque disciplina, qua quis absolute vir bonus est, utrum »sit prudentiae civilis, an alius facultatis, posterius erit dis»putandum. Non est enim fortasse idem, virum bonum »esse, et cujusvis civitatis civem bonum. Ejus autem jus»titiae quae est partis, jurisque item ejus, quod ipsi »consentaneum est, una species est, quae in distributio»ne vel honoris, vel pecuniae, vel aliarum rerum, quae »inter eos dividi possunt, qui ejusdem reipublicae com»munione inter se conjuncti sunt, versatur; in his enim »est, ut alter cum altero et aequum et iniquum consequa»tur. Altera quae in rebus contrahendis vim corrigen»di atque emendandi habet. Hujus porro duae sunt »partes, contractuum enim alii sponte nostra, alii nobis »invitis fiunt. Sponte fiunt exempli causa hi, venditio, »emtio, mutuum, fidejussio, commodatum, depositum, lo»catio et conductio. Dicuntur vero sponte fieri, quia ho»rum contractuum principium est in nostra voluntate po»situm. Eorum autem, qui nobis invitis fiunt, alii sunt »clandestini, ut furtum, adulterium, veneficium, lenoci»nium, servi alieni corruptio, caedes dolo facta, falsum »testimonium. Alii sunt violenti, ut verbera, vincula, »mors, rapina, debilitatio corporis, maledictum, contu»melia.«

His omnibus, atque toto ethicorum libro quinto, Aristoteles ex mea sententia fere omnes et priores et posteriores, tam veteris quam medii aevi, philosophos longe quidem superavit; at quanto superaverit, non satis videtur ab aliquo perpensum esse, cum illa ipsa quaestio, qualis inter ethicam et juris doctrinam nexus sit, multorum quidem ingenia occupaverit, sed non omnes hi, imo fortasse nemo unus ipsorum usque ad nostra tempora se eadem occupatum esse, aut quaenam ex quaestionis illius solutione gravissima consectaria essent, intellexerit. Atque hoc etiam in causa esse videtur, quod nullus inter Aristotelis com-

mentatores propositam justitiae et injustitiae divisionem in eum finem explicaverit, ut difficillimam illam quaestionem, etiamsi sub alio nomine, ab Aristotele jam tractatam fuisse ostenderet — nam veritatem hujus Aristoteleae divisionis a nemine in dubium vocari, quid est, quod commemorem, cum aliis id ipsum in animo fuisse, ut Aristotelis verba explicarent tantum, aliis autem, coeca quadam multorum saeculorum erga Aristolelem imbutis veneratione, tam sublimis ingenii sententias impugnari posse, ne quidem in mentem venisse, satis pervulgatum sit. Accedit, quod Aristoteles, sicut omnes ethicae doctores, in ipsa *virtutum* tractatione incidit in justitiam et injustitiam, tanquam alius doctrinae partes; neque ex proposito in id inquirere ipsius erat, num juris et justitiae doctrina a virtutis doctrina secerni posset et deberet. Itaque *Petrus Victorius* v. c., in dilucidis ad Aristotelis ethicam commentariis, accurate multaque cum eruditione Aristotelis verba interpretatur: sed quod animum vertat ad discernendas de justo et honesto doctrinas, quandoquidem utrasque et ipse Victorius pro saeculi more et ingenio plane promiscuas habet, nihil omnino in fusa eius interpretatione invenies (2). Neque alia ratio est commentariorum Magiri. (3) Pari modo Giphanius, Aristotelem illustrans, caeterum liberiori ingenio, neque tam anxie, quam Magirus, formae addictus (4). Pariter etiam Muretus ille, Ciceronianae eloquentiae imitator felicissimus, egregiam exhibens in Aristotelis ethica commentarium, pulchra quidem dictione philosophum Graecum illustrat; sed de ipsa hac nostra materia, nil, nisi quod Aristoteles ipse, dicit

---

2) Vide: *Petri Victorii* commentarii in x libros Aristotelis de moribus ad Nicomachum etc. Florentiae ex officina junctarum. 1584. p. 255 seq.

3) *Ioan. Magiri*, corona virtutum moralium, universam Aristotelis summi ethicen exacte enucleans etc. Francof. 1608. p. 421 — 507.

4) *Giphanii*, commentarii in decem libros ethicorum Aristotelis ad Nicomachum. Francof. 1608. p. 331 — 354.

quamvis accuratissime ejusdem sententiam per omnia explicavit. Cf. *Mureti* opera omnia, ed. Ruhnkenii, tom. III. p. 374 — 386. Multo minus ejusmodi disputationes apud alios commentatores reperies, v. g. Michaelem Ephesium (5), Eustratium Nicaenum (6); Hyperium, qui simplicem paraphrasin ad Aristolelis capita adjecit (7), et alios.

Neque etiam elegans illa et egregia ethicorum editio, quam Carol. Zell comparavit, ad nostros usus praeter grammaticam philologicamque interpretationem aliquid contulit, quippe quae aliud sane non intenderit, sed in textus satis lucidam restitutionem et explicationem destinata sit. Caeterum digna quae legantur prae omnibus mihi visa sunt ea, quae Thomas Aquinas, religiosissimus Aristotelis nostri cultor et facile princeps aetatis suae philosophorum, de justitia universali et particulari docuit. Thomas enim principia quidem Aristotelis sua faciens majori tamen, non dubito defendere, constantia ad specialia procedit, ita ut in generalibus quidem thesibus Aristoteli omnino adhaereat, sed in iisdem explicandis et in deducendis inde propositionibus specialibus, admodum propria utatur ratione neque non claritate et perspicuitate Aristotelem superasse videatur. Non ingrate puto me lectoribus facturum, cum quaedam ad nostram materiam spectantia ex ejusdem disputationibus hoc loco afferam. Hodie enim fere nemo scholasticorum libros inspicere solet, quaeque ab his prolata fuerint, nihil omnino praeter ineptias esse, plerique imaginantur; at qui s. Thomae scripta vacuus ab omni praeiudicata opinione perscrutatus fuerit,

---

5) Aristotelis Stagiritae moralia Nicomachia cum *Eustratii*, *Aspasii*, *Michaelis Ephesii*, nonnullorumque aliorum Graecorum explanationibus, nuper a *Ioanne Bernardo Feliciano* latinitate donata. Venet. 1541. p. 202 — 261.

6) Ibid. Ad libr. 4tum, 6tum, 9num et decimum.

7) Meditationes ethicae sive Aristotelis ethicorum *Νικομάχειων* perspicua etc. explicatio per *Petr. Martyrem Vermilium* & *Hyperium* etc. Lichae ad Veterim 1598. p. 435. seq.

haud parum de tanta ingenii acie, tanta stili claritate, tantaque pro temporibus illis philosophiae scientia mirabitur.

In secunda Secundae parte (8), ibique in quaestione 58va, praeter alias et has proponit quaestiones: Art. 5.« »Utrum justitia sit virtus generalis; art. 6.: utrum justitia, »secundum quod est generalis, sit idem per essentiam cum »omni virtute; art. 7.: utrum sit aliqua justitia particularis »praeter justitiam generalem. Art. 8. Utrum justitia parti »cularis habeat materiam specialem.

»Ad quinti art. quaestionem haec respondet: Ad quin»tum sic proceditur. Videtur, quod justitia non sit vir»tus generalis. Justitia enim condividitur aliis virtutibus »ut patet sapient. 8: Sobrietatem et justitiam docet, pru»dentiam et virtutem.« Sed generale non condividitur, seu »connumeratur speciebus sub illo generali contentis: ergo »justitia non est virtus generalis.

»2. Praeterea, sicut justitia ponitur virtus cardina»lis, ita etiam temperantia et fortitudo: sed temperantia »vel fortitudo non ponitur virtus generalis. Ergo neque »justitia debet aliquo modo poni virtus generalis.

»3. Praeterea justitia est semper ad alterum, ut »supra (art. 2.) dictum est: sed peccatum, quod est in »proximum, non potest esse peccatum generale, sed di»viditur contra peccatum, quo peccat homo contra se ip»sum. Ergo etiam neque justitia est virtus generalis.

»Sed contra est, quod Philosophus (Aristoteles) dicit »in 5to ethicorum, quod justitia est communis virtus.«

»Respondeo. Dicendum, quod justitia, sicut dictum »est, ordinat hominem in comparatione ad alium: quod »quidem potest esse dupliciter. Uno modo, ad alium sin»gulariter consideratum: alio modo ad alium in communi, »secundum illud, quod ille, qui servit alicui communi»tati, servit omnibus hominibus qui sub communitate »illa continentur. Ad utrumque ergo se potest habere jus»titia secundum propriam rationem. Manifestum est, au-

8) Vide: Summa tot. theolog. S. Thomae Aquinatis etc. secunda sec. qu. 58.

»tem, quod omnes, qui sub communitate aliqua contínen»tur, comparantur ad communitatem sicut partes ad to»tum. Pars autem id quod est, totius est, unde et quod»libet bonum partis est ordinabile in bonum totius.

»Secundum hoc ergo bonum cujuslibet virtutis sive »ordinantis aliquem hominem ad se ipsum, sive ordinan»tis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referi»bile ad bonum commune ad quod ordinatur justitia. Et »secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad justitiam »pertinere, secundum quod ordinat hominem ad bonum »commune et quantum ad hoc justitia dicitur virtus ge»neralis. Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum »commune, ut supra habitum est (1. 2. 9. 90. art. 2.), »inde est quod talis justitia praedicto modo] generalis, di»citur justitia legalis, quia scilicet per eam homo concor»dat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum com»mune.

»Ad primum ergo dicendum quod justitia condividi»tur, seu connumeratur aliis virtutibus, non in quantum »est generalis, sed in quantum est specialis |virtus ut infra »dicetur (art. 7. et 12.).

»Ad secundum dicendum, quod temperantia et fortitu»do sunt in appetitu sensitivo id est in concupiscibili et »irascibili. Hujusmodi autem vires sunt appetitivae quo»rundam bonorum particularium, sicut et sensus est parti»cularium cognoscitivus: sed justitia est sicut in subjecto »in appetitu intellectivo qui potest esse universalis boni, »cujus intellectus est apprehensivus. Et ideo justitia ma»gis potest esse virtus generalis, quam temperantia vel »fortitudo.

»Ad tertium dicendum, quod illa, quae sunt ad se ip»sum, sunt ordinabilia ad alterum praecipue ad bonum »commune. Unde et justitia legalis, secundum quod ordi»nat ad bonum commune, potest dici virtus generalis: et »eadem ratione injustitia potest dici peccatum commune »Unde dicitur i, Joh. 3. quod omne.

»Artic. 6tus. Allatis primo argumentis pro et contra sic respondet: »Dicendum, quod generale dicitur aliquid

»dupliciter. Uno modo per praedicationem, sicut animal »est generale ad hominem et equum, et ad alia hujusmodi. »Et hoc modo generale oportet, quod sit idem idem essen»tialiter cum his, ad quae est generale, quia genus perti»net ad essentiam speciei, et cadit in definitione ejus. Alio »modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut »causa universalis est generalis ad omnes suos effectus ut »sol ad omnia corpora, quae illuminantur vel immutantur »per virtutem ipsius; et hoc modo generale non oportet, »quod sit idem in essentia cum his ad quae est generale, »quia non est eadem essentia causae et effectus. Hoc au»tem modo secundum praedicta, justitia legalis dicitur esse virtus generalis, in quantum scilicet ordinat actus aliarum »virtutum ad suum finem, quod est movere per imperium »omnes alias virtutes. Sicut enim charitas potest dici vir»tus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum »ad bonum divinum, ita etiam justitia legalis, in quantum »ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Si»cut ergo charitas, quae respicit bonum divinum ut pro»prium objectum, est quaedam specialis virtus secundum »suam essentiam: ita etiam justitia legalis est specialis vir»tus secundum suam essentiam, secundum quod respicit »commune bonum ut proprium objectum. Et sic est in »principe principaliter, et quasi architectonice: in subditis »autem secundarie et quasi administrative. Potest tamen »quaelibet virtus, secundum quod a praedicta virtute, spe»ciali quidem in essentia, generali autem secundum virtu»tem, ordinatur ad bonum commune, dici justitia legalis, »et hoc modo loquendi justitia legalis est idem in essentia »cum omni virtute, differt autem ratione: et hoc modo »loquitur philosophus.«

»Articulus octavus.

»Ad octavum sic proceditur. Videtur quod justitia par»ticularis non habeat materiam specialem. Quia super illud »Genes. Fluvius quartus ipse est Euphrates dicit Gloss.: »Euphrates frugifer interpretatur: nec dicitur contra quos »vadat, quia justitia ad omnes animae partes pertinet: hoc »autem non esset, si haberet materiam specialem, quia quae-

»libet materia specialis ad aliquam specialem potentiam per»tinet. Ergo justitia particularis non habet materiam spe»cialem.

»2. Praeterea August. dicit in libro 83. quaestionum »(q. 61.) quod quatuor sunt animae virtutes, quibus in hac »vita spiritualiter vivitur, scilicet temperantia prudentia »fortitudo et justitia. Et dicit quod quarta est justitia, quae »per omnes diffunditur. Ergo justitia particularis, quae »est una de quatuor virtutibus cardinalibus, non habet »specialem materiam.

»3. Praeterea: justitia dirigit hominem sufficienter in »his quae sunt ad alterum: sed per omnia, quae sunt hujus »vitae, homo potest ordinari ad alterum. Ergo materia »justitiae est generalis et non specialis.

»Sed contra est, quod philosophus in 5to ethicorum (c. »2.) ponit justitiam particularem circa ea specialiter, quae »pertinent ad communicationem vitae.

»Respondeo. Dicendum quod omnia, quaecunque rec»tificari possunt per rationem, sunt materia virtutis moralis, »quae definitur per rationem rectam, ut patet per philos. »in 5. ethic. Possunt autem per rationem rectificari et »interiores animae passiones et exteriores actiones, et res »exteriores quae in usum hominis veniunt; sed tamen per »exteriores actiones et per exteriores res quibus sibi invicem »homines communicare possunt, attenditur ordinatio unius »hominis ad alterum: secundum autem interiores passiones con»sideratur rectificatio hominis in se ipso. Et ideo cum justi»tia ordinetur ad alterum, non est circa totam materiam vir»tutis moralis, sed solum circa exteriores res, secun»dum quandam rationem objecti specialem, prout scilicet se»cundum eas unus homo alteri coordinatur.

»Ad primum ergo dicendum, quod justitia pertinet »quidem essentialiter ad unam partem animae, in qua est »sicut in subjecto s. ad voluntatem, quae quidem movet »per suum imperium omnes alias animae partes. Et sic jus»titia non directe, sed quasi per quandam secundantiam »ad omnes animae partes pertinet.

»Ad secundum dicendum, quod sicut supra dictum est

»virtutes cardinales dupliciter accipiuntur. Uno modo, secundum quod sunt speciales virtutes, habentes determinatas materias. Alio modo secundum quod significant quosdam generales modos virtutis; et hoc modo loquitur ibi Augustinus. Dicit enim quod prudentia est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum. Temperantia est refraenatio cupiditatis ab his, quae temporaliter delectant. Fortitudo est firmitas animi adversus ea, quae temporaliter molesta sunt. Justitia est, quae per caeteras diffunditur dilectio Dei et proximi, quae scilicet est communis radix totius ordinis ad alterum.

»Ad tertium dicendum, quod passiones interiores, quae sunt pars materiae moralis, secundum se non ordinantur ad alterum, quod pertinet ad specialem rationem justitiae, sed earum effectus sunt ad alterum ordinabiles, scilicet operationes exteriores. Unde non sequitur, quod materia justitiae sit generalis«.

Ex his satis apparet, Thomam, si suis ipsius cogitatis et ideis solis institisset, eaque sola explicasset neque ad Augustini aliorumque auctoritatem se accommodare voluisset, plus etiam praestiturum fuisse. Aristotelis systema, non ut re ipsa se habet, sic propositum a Thoma esse, ex supra allatis nulli lectorum dubium erit. Neque enim vero id ejus consilium fuisse nemo non videbit. Discedit inprimis eo, quod particularis justitiae fines distinctius quam Aristoteles ita circumscribit, ut in *externis actionibus* totam justitiam particularem versari doceat. Quod quidem ipse et alii in his Aristotelis verbis »*quae inter eos dividi possunt, qui ejusdem reipublicae communione inter se conjuncti sunt, ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας*« invenisse videntur. Verum quanta sit eorum, quae Aristoteles habet, ab iis, quae apud Thomam disputata et explicata leguntur, differentia, quantoque posterius iste in finibus illis circumscribendis lucidior et accuratior fuerit, id neminem certo fugiet.

Inter recentiores nemo fortasse Aristotelis in hac materia virtutem rectius aestimavit, quam celeb. Meister (9).

9) Vide ejusdem Lehrbuch des Nat.R. Frankf. a. d. O. 1809. §. 134.

Sed quamvis egregia venerandi ejus Icti in jure naturali scientia et opera, tamen non satis accurate Aristotelis sententiam, praesertim quod justitiae universalis et particularis rationem adtinet, proposuisse mihi videtur.

»Justitia, inquit, primum id definit, quod est mere »*negativum*, nequis, quod est alterius *suum*, id invadat.«

2. »Sed in negativa hac sphaera justitia simul tan»quam *universalis aliqua modificatio* comparet, quae ad »omnem agendi rationem, ut moraliter bona sit, accedat »necesse est. Inde *justitia universalis*«.

3. »Tum demum, cum substratum fuerit *objectum* »aliquod *positivae actionis*, justitia *specialis* aliqua virtus »fit, comparetque ut justitia *particularis* in praestationum »sphaera aliis faciendarum.«

At secus se res habet secundum ea, quae supra ex lib. 5. attulimus, in quibus sedes est Aristoteleae doctrinae de justitia universali et particulari. Non enim *modificatio* est Aristotelis justitia universalis, quam ad omnem agendi rationem, ut moraliter bona sit, accedere oportet; sed est ipsa virtus perfecta (*αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία*) vel ut Garve noster haec verba recte interpretatur: complexus omnium virtutum (10).

Hanc perfectam virtutem, quae propter id ipsum, quod perfecta est, omnes singulas virtutes complecitur, cum non absolute *per se*, sed quatenus aliquis ea utitur *ad alterum* (*ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία ἀλλ᾽ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον*), consideratur, *justitiam* appellamus. Quare haec universalis justitia sic etiam definiri possit: »Est virtus »in ea constans agendi ratione, qua quis omnes virtutes »erga alios exercet.« Ad hunc sensum quadrant verba »*ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία* etc. (11) Hunc etiam sequentia pos-

---

10) Aristotel. Ethic. lib. V. cap. 1. n. 15. (ed. Zell.) Die Ethik des Aristoteles übersetzt und erläutert von C. Garve B. 2 S. 181.

11) Non satis bene Lambinus „*ἀλλὰ πρὸς ἕτερον*" vertit: *ut foras progreditur*. Ita enim recte diceres, si nullo modo *πρὸς ἕτερον*, sed *externis* tamen actionibus virtus exerceretur.

cunt »ex quorum posteriore fit saepe, ut omnium praes- »tantissima virtutum videatur esse justitia, ac nec Hespe- »rus nec Lucifer tanta est admiratione dignus, solemusque »proverbii vice proferre illud: Justitia una alias virtutes »continet omnes, et *perfecta maxime virtus*, nimirum »perfectae virtutis usus est. Illud autem, quod perfecta »virtus haec est, inde est, quia, qui ea praeditus est, »*etiam cum aliis, et erga alios, non secum solum virtu- »tem colere potest*« (11). Non minus clara haec verba sunt: »Ergo justitia haec non virtutis pars est sed virtu- »tus universa (ἀλλα ολη ἀρετὴ ἐστιν)« (12). Itaque acce- dere justitiam ad omnem agendi rationem, ut moraliter bona fiat, non solum necessarium non est, sed etiam *extra justitiam* secundum ipsum Aristotelem virtus est ali- qua, nimirum ea, quem colit (vel colere potest) nonnisi se- cum agens. Imo, »plerique, inquit, in *suis* quidem rebus »*virtute* uti possunt, in iis autem, quas habent *cum al- »tero, non* possunt (13).« In his autem solis, ut supra vi- dimus, justitia versatur.

Rectius ergo Gipbaniust: »comparat eam inquit, cum »virtute in genere sumtam. Et primum quidem, esse »quidem perfectam, non simpliciter et absolute, sed com- »parate. Nam ut supra lib. 1. docuimus, cap. 7. in f., »virtutis perfectae appellatio attribuitur tribus, fortitudini, »virtuti in genere, quod omnes sub se species complecta- »tur et justitiae generali. Ex quibus duobus posterioribns »virtus quidem in genere sumta est virtus perfecta abso- »lute, justitia vero generalis comparate. Nam illa in se, »haec in usu ad alium spectatur, ut infra ostendetur.« Et: »comparat hoc loco justitiam generalem cum virtute: »esse quidem eandem re, seu, ut vulgo loquuntur, sub- »jecto non tamen ratione *λόγῳ*, seu *τῳ εἶναι*. Id enim »valet *τῳ εἶναι* hoc loco, ut et alias saepe, non essentia, »ut quidam vertunt (14).«

11) Aristotel. Ethic. lib. V. cap. I. n. 15, ed. Zell.
12) Ibid. n. 19.
13) Ethic. l. c. n. 15.
14) Giphan. comment. cit. lib. 5. p. 341, 343.

Deinde neque differentia, quam Aristoteles inter justiam illam universam et particularem ponit, a Meistero recte explicata videtur. »Quam diu, inquit, suum ali»quis habet, neque plus neque minus, non est aliqua *po»sitiva* justitiae sed negativa tantum materia. Ergo justi«titia particularis tum primum incipit agere, cum deesse »alicui vel alii quiddam in suo, quod alter praestatione »aliqua suppeditare debeat, suppositum fuerit.« (15)

Quae optime ipsius Aristotelis verbis supra allatis: »justitiam autem quaerimus eam, quae pars virtutis est »etc. refutantur. Ex his enim, in solo actionis *objecto causaque movente* differentiam positam esse, perspicuum est. »Utriusque enim vis in eo posita est, quod ad alte»rum refertur. Verum haec quidem altera (particularis) »versatur in *honore* aut *pecunia* aut *salute*, aut siquo uno »nomine haec omnia complecti possimus, in istis omnibus, »et quidem voluptatis gratia, quam lucrum parit (16); »illa vero in *iis omnibus*, in quibus vir bonus occupatus »est« (17). Et quidem non ita, ut intersit quidquam, num positive an negative agatur, sed id unum intersit, num lucrum aliquod injuste agens capiat. Quod quidem non proprie per omnia intelligendum est, sed ita, ut is etiam lucrum capere dicatur, qui alium percusserit, damnum pati, qui percussus erit, atque ille agat, hic patiatur contra justitiam particularem (18). Quod si Meisteri verba urgemus, *particularis* justitia ab eo, qui alium percutit, percutiendo non laeditur: sed fortasse satisfactionem non dando; ponendum enim, alteri de suo deesse aliquid, et id quidem esse satisfactionem. Sed hoc acutius profecto, quam verius.

Iam ad nostram doctrinae Aristoteleae explicationem et aestimationem accedamus.

I. Non dubitaturum credimus aliquem, quin ex Aris-

---

15) Meister l. c. §. 134.
16) *και δι ήδονὴν τὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους*
17) Ethic. lib. V. cap. II. n. 6.
18) Ethic. lib. V. cap. IV. n. 5.

totelis sententia justitia universalis per se plane eadem sit ac virtus, quippe quod ipse haec duo esse pro iisdem accipienda iterum iterumque profiteatur.

In eo solo differunt, quod justitia est virtus *comparate* considerata, cum virtus per se sit virtus *absolute* sive simpliciter considerata. Itaque cum virtus sit ea vis animi, quo quis hominis officia explet, justitia eadem vis est, quatenus officiis ergo alios obligamur, cum in his solis virtutis usus aliquis ad alterum, ut Aristoteles dicit, intercedere possit. Recte ergo justitia ea animi vis sive voluntas dicitur, qua quis omnibus erga alios officiis perfecte fungitur. Quo sensu Aristoteles statuere potest: injustus est, qui legum transgressor (παράνομος), justus qui legibus parens est (19), cum de legibus dicat: »Leges porro de *omnibus* rebus loquuntur etc. (20)

II. Hujus autem justitiae pars quaedam est justitia particularis seu stricte dicta, quae cum universali id quidem commune habet, quod versatur in *τῷ πρὸς ἕτερον*, differt autem ab illa, quod in certis quibusdam objectis, scilicet in *honore* aut *pecunia* aut *salute* (σωτηρίᾳ), aut quae his similia sunt, et quidem *quaestus* causa versatur.

Quod posterius, *in iis rebus*, in quibus de lucro capiendo agitur, *ipsam versari*, ab Aristotele hujus justitiae notam characteristicam poni, cum ex apertis ejus supra allatis verbis generalibus sequitur, tum ex his praecipue potest intelligi: »Siqnis *quaestus* causa adulterium com»mittat, *mercedemque etiam ferat*, alius autem *cupiditate* »*inflammatus* idem faciat, dans etiam aliquid de suo, ja»turamque rei suae faciens: hic quidem *intemperans* po»tius, quam plus sibi sumens et vindicans videtur: ille au»tem *injustus*, at non intemperans, propterea scilicet, quia »*quaestus* causa facit« (21).

III. Non omnino verum est, quod nonnulli commentatores putant, eodem modo Aristotelem, quo sacrae

19) Ethic. lib. V. cap. I. n. 8.
20) Fthic. lib. V. cap. I. n. 13.
21) Ethic. lib. V. cap. II. n. 4.

paginae verbo *justi* et *justitiae* passim utuntur, justum appellasse omnino hominem virtute praeditum, et ipsam virtutem justitiam (22). Imo Aristoteles eatenus justitiae vocabulum ad virtutem applicat, quatenus haec *ad alterum est*, quum sacrae scripturae voce illa ad omnem omnino virtutem, praesertim pietatem in Deum designandam, utantur. Unde perspicuum est, arctius eum justitiae notionem circumscripsisse, adjecta ad virtutis notionem ea conditione, quod justitia in actionibus versetur, quae ad *alios homines* pertineant.

IV. Quae quidem conditio quum secundum Aristotelem justitiae injustitiaeque tam *particularis*, quam *universalis* propria sit, quumque igitur ea sublata nihil justitia et injustitia differant ab universa virtute et vitio, absque dubio est *propria* omnis justitiae nota ex Aristotelis sententia habenda. Haec autem, tam acuta tamque frugifera sententia est, ut satis admirari non possis Aristotelem, cujus aetate nemo pro historiarum memoria tam recte perspexerat veram justitiae naturam, cujus vero post decessum integra saecula propter illius notae ignorantiam innumeris oppressa vitiis se ipsamet frustraverunt plurimis eorum bonorum, quae vitam tranquillam reddunt et beatam, quae mores emolliunt et genus humanum ad veram virtutem et justitiam instituunt. Quid enim tot millies mille innocentes et injuste obrutos damnatosque morte affecit contumeliosa, quid homines contra ipsos ferocia vel brutis indigna tam saepe armavit, quam iste infelix error, justitiam in omni virtute versari, neque in ea sola, quae officia erga alios complectitur? Fanatismus sane ita virtutem et pietatem augeri opinatur, Deoque grati quid fieri, Deum ut dicunt, vindicando! Quasi ridiculum non sit, homines hominibus non meliores Dei gloriam et honorem tueri velle aut adeo vindicare! Quasi horrendum non sit et

22) Vide v. g. Giphanium, qui dicit: »Atque hunc in modum justi et justitiae vocabulum pro bono et universa virtute omnibus fere in locis sacrae scripturae accipi debet.« L. c. p. 340.

blasphemum, creaturam finitam, pauperem, fragilem, Dei infiniti, potentissimi, nullis commutationibus obnoxii veluti causam agere, gerereque vices! Quasivero non certissime ita omnis vera virtus exstirpetur! Quasi non ipsa virtus in vitium vertatur, cum vis externa poenarumque horror justitiae ac virtutis speciem prae se ferentes omnem a virtutis via aberrationem vindices persequantur, neque id quidem permittant ut vel possit aliquis aberrare!

V. Jam quod ad discernendam iustitiam injustitiamque particularem ab universali adtinet, in hoc non aeque felix fuisse Aristoteles nobis videtur. Non dubitamus, enim, quin lectores nobiscum verbis illis supsa allatis, quamvis recte ex principio collectis, offensi fuerint: »Praeterea siquis *quaestus* causa adulterium committat, mercedemque etiam ferat, alius autem cupiditate inflammatus idem faciat, dans etiam aliquid de suo, jacturamque suae rei faciens: *hic* quidem *intemperans* potius, quam plus sibi sumens et vindicans videtur: *ille* autem *injustus* at non intemperans, propterea scilicet, quia *quaestus* causa fecit, (δῆλον ἄρα ὅτι διὰ τὸ κερδαίνειν).« (23)

Verum, quod non minus mireris, ipsum adulterium, ab injustitiae particularis genere seclusum, paulo post in eodem restituitur. Sunt enim secundum Aristotelem duae justitiae particularis species, quarum secunda item duas complectitur, earumque ad alteram praeter furtum, veneficium et alia, etiam *adulterium* pertinet (24) et quidem nulla habita quaestus ratione. Quae utcunque sint, illam rationem habendam esse aliis locis ab Aristotele clarius defenditur, quam ut aliam quandam particularis injustitiae notam apud eundem invenias, quod ex allatis supra verbis satis superque intelligi licet. Et etiam nostra aetate quandoque eam praecipue appellamus justitiam, quae alterius laesio bonorum est et per *quaestum* fit injuria factum; quamquam is usus loquendi ab accurata et severa juris disciplina exterminandus est. Quod autem Aristoteles

23) Ethic. lib. V. cap. II. n. 4.
24) Ethic. lib. V. cap. II. n. 13.

probavit, id constare non posse, facile intelligitur. »Praeterea, inquit, in caeteris quidem omnibus injuste factis, »siquid peccatur, id semper ad aliquod *improbitatis* genus »refertur (*γίνεται ἡ ἐπαναφορὰ ἐπί τινα μοχθηρίαν ἀεί*) »v. g. siquis adulterium commisit, ad intemperantiam (non semper, sed secundum ipsum Aristotelem ad injustitiam etiam referendum, cum quaestus causa commissum est), »si eum qui in acie proximus locatus erat deseruit, ad timiditatem: siquem pulsavit ad iracundiam. At si *quaestum* fecit, ad nullum aliud vitium, nisi ad injustitiam refertur.« (25) Atqui hoc posterius jure optimo negandum est. Quoties enim non sola egestas sed alia quaecumque causa ad injuste quaestum faciendum aliquem impulerit, toties etiam ad aliud vitii genus quaestum facere pertinebit v. g. ad avaritiam, intemperantiam, luxuriam et alia. Caeterum id quidem concedimus, cum praeter animum lucri faciendi nulla alia causa ad lucrum faciendum impulerit, non *solere* nos praeter injustitiam aliud vitium in eiusmodi facto reprehendere. Est tamen aliud quoddam vitium, quod recentiorum magis culta et ad exemplum Christianae doctrinae aucta philosophia moralis in quacunque alterius laesione reprehendit, quodque ethnicorum philosophiae aut minus cognitum erat, aut omnino ignotum; dico enim vitium, quod positum est in omittenda aestimatione et benevolentia, quam ex purioris ethicae principiis unicuique homini debemus.

Jam et nostram de honesti et justi necessitudine deque earum inter se differentia sententiam in medium afferamus, ut quid de Aristotelis in hoc genere studiis seniamus lectores plenius intelligant.

Justitia et virtus ea ratione

1. idem sunt, quod virtus sine justitia esse non potest; est enim justitia essentialis virtutis pars, et quidem

2. ea pars, quae posita est in exercenda virtute erga *alios homines*, ita ut virtus, quatenus erga *nos ipsos* et erga *Deum* exercetur, *justitiae* nomine sensu *proprio* non afficiatur.

---

52) Ethic. lib. V. cap. II. n. 5.

3. Non tamen *universum* virtutis erga alios homines exercitium justitia est, (quamvis fieri non potest, quin is, qui omnes erga alios virtutes exercet, *justus* etiam sit), sed illud tantum, quod in non faciendis eis constat, quae virtuti vel officiis erga alios *contraria* sunt, ita quidem ut in sensus cadant externos.

4. Ergo ex origine sua non *objecto solo* justitia differt a virtute universa vel officiorum observantia, sed *forma* etiam vel *gradu* atque *modo*, ita quidem, ut justitia minimus virtutis erga alios gradus sit, quippe quae in eo consistet, nequis contrarium virtuti in alios faciat externe, siquidem ejusmodi externam tantum virtutem etiam *virtutis* nomine quis appellare voluerit.

5. Quicunque ergo *injuste* agit, etiam *contra virtutem* agit, cum virtutis officiorum aliquod laedat, et quidem adeo contrarium agendo.

6. Non vice versa, quicunque contra *virtutem* agit, semper *injuste* agit; fieri enim potest.

a. ut in honeste agat in animal brutum;

b. inhoneste in naturam quae rationis est expers;

c. inhoneste contra se ipsum,

d. inhoneste contra Deum sed non simul contra hominem quemquam;

e. ut *omittat* tantum aliquod virtutis universae vel erga se, vel erga alium hominem, vel erga Deum, officium, non tamen *contrarium* ejusdem faciat.

7. Hinc porro sequitur, sine *virtute* vanas esse *justitiae* et *injustitiae* notiones, cum *relativae* tantum ad virtutis officia cogitari possint.

8. Inde autem rursus sequitur, *justitiae* vel *juris* doctrinam omni fundamento destitutam esse, nisi *virtutis* vel *officiorum* vel *morum* doctrina praemissa sit, omnesque eos errare, qui *justitiae* doctrinam primo, *morum* autem doctrinam absoluta illa secundo loco tractandam esse contendant.

9. Nilominus tamen *juris* doctrinam non omnino pendere ex *morum* doctrina, sed peculiari suo principio gaudere, et eatenus tantum ab illa pendere ut ipsum ejus

principium jam ponat, esse morum principia, quaecunque demum sint; deinde autem prorsus novam quaestionem tractare, nimirum quae *laesis* ab alio erga nos virtutis *officiis* in hunc nobis *permissa* sint (quae quidem quaestio nullo modo in ethicam transferenda est), id alio loco copiosius explicavimus, nempe in compendio juris naturae et in dissertatione de honesti et justi confusione, quam Germanico idiomate conscriptam annis 1823 et 1824 in lucem edidimus. Ibi etiam caeteras illas propositiones, quas hoc quidem tempore acervatim potius proferendas, quam enucleate tractandas esse visum est, idoneis rationibus confirmare conati sumus. Ex repetita saepius de eadem materia inquirendi et cogitandi opera magis magisque id nobis persuasum est, miram in omnes morales disciplinas, praesertim in jurisprudentiam philosophicam et perspicuitatem et unitatem afferri, cum primum talis cognoscatur earum ordo ac necessitudo, qualem cognovisse non dubitamus pro maximo emolumento habere, quod non tam ex nostris studiis, quam ex egregia illa institutione tulimus, qua ab acutissimo philosophiae doctore clar. Hermesio esse edoctos, ad faustissimos vitae eventus nunquam non referemus.

Emendata.

Pag.	lin.	lege:
1.	15.	finem.
2.	4.	εἶναι
—	6.	ἀλλ' ἢ
—	7.	πρὸς, et post δικαιοσύνη ἢ
4.	20.	fieri.
—	22.	fiunt.
13.	11.	ἀλλὰ ὕλη ἀρετή ἐστιν.
—	7. a fine	τῷ
14. Not.	16.	καὶ δι ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους
15.	3.	profiteatur.
—	34.	putant.

BONNAE, TYPIS BUESCHLERIANIS.